

absolvunt ab excommunicatione juxta dicta n. 256.

252. Quod si suspensio a jure vel homine per sententiam generalem lata fuit cum clausula reservationis, pariter absolvunt ii, qui a simili reservata excommunicatione absolvi valent, juxta dicta n. 249.

253. Resp. II. Si suspensio, vel interdictum latum est ad certum duntaxat tempus, aut donec hoc vel illud fiat, aut præstetur, elapso tempore præscripto adimpleta cessat, uti cum Glossa communiter recepta in Clement. 1, vers. *Donec, de Decimis*: bene docet Abbas, in c. 1, de *Judiciis*. Navarrus, *Manual.* cap. xxvii, n. 161. Sylvester, vers. *Interdictum*, 3, num. Covarruvias, in c. *Alma mater.* p. 1, vers. 11, n. 8 et alii.

254. De potestate absolvendi a censuris et aliis casibus reservatis competente episcopis, regularibus, et aliis confessariis. *Remissive.* — Quæritur IV. An, quando et qualem potestatem absolvendi a censuris, et casibus Papæ reservatis ex delegatione, privilegio, vel jure habeant episcopi, regulares, et alii confessarii? Resp. ad hoc quæsitum jam patere ex tit. VII, de *Hæreticis*, §§ 7, 8 et 9, ubi occasione absolutionis ab hæresi, egimus etiam de absolutione a quovis alio casu tam episcopis, quam Papæ reservato.

255. *Regulares vi privilegiorum possunt absolvi ab omnibus censuris Papæ reservatis: exceptis contentis in Bulla Cœnæ: ab his etiam suos subditos.* — Et inter alia ex privilegio concessio per constitutiones Pauli III, Gregori XIII, et aliorum, regulares mendicantes præsertim ordinis nostri possunt absolvi ab omnibus peccatis et censuris, puta, excommunicatione, suspensione, et interdicto personali etiam Sedi Apostolicæ reservatis, solis exceptis casibus in Bulla Cœnæ contentis, quibus tamen suos subditos regulares absolvi valent superiores, prout fusius probat Hyacinthus Donati, tom. I, part. tr. XIII, q. 17, et tom. I, tr. XI, q. 17 et 18, ac novissime noster Felix Potestas in suo *Examine Ecclesiastico*, tom. I, p. 2, c. 5, n. 376.

256. *Extra Italiam possunt etiam absolvi excommunicatos ob percussionem clerici, et alios per Clementem VII pro Italia reservatos.* — Et quamvis Clemens VIII, casibus Bullæ Cœnæ etiam alios annumerarit, videlicet I. Extractionem eorum ex asylo ecclesiastico contra constitutionem Gregorii XIII. *Cum alias.* II. Violationem clausuræ monialium

ad malum finem castitatis contrarium. III. Duellum proprium. IV. Percussionem clerici, vel monachi, quæ non levis, sed gravis est. Et V. Simoniam realem, et confidentialem; ita ut sicut a casibus Bullæ Cœnæ, ita etiam ab his nec regulares, nec alii vi privilegii, vel alterius juris absolvi possint sæculares præter Romanum Pontificem; tamen Stoz, in *Tribunal. penit.* lib. II, q. 2, n. 60, et alii observant, potestatem absolvendi ab his casibus prius concessam, non fuisse revocatam a Clemente VIII, quoad regulares extra, sed tantum per Italiam.

257. *Vi privilegiorum non possunt regulares absolvi a censuris ab homine per sententiam specialem latis.* — Notandum tamen circa hæc privilegia, et potestatem absolvendi primo: quod vi horum non possint absolvi a censuris ab homine per sententiam specialem latis, per dicta n. 252, neque ab interdicto locali.

258. *Absolutio censurarum per regulares non relevat in foro externo.* — Secundo, quod, etsi vi ditorum privilegiorum mendicantes pro foro conscientie absolvi possint ab omnibus censuris a jure, vel per sententiam generalem latis etiam reservatis Summo Pontifici (non item a reservatis episcopo) tamen hæc absolutio in foro externo non relevat, quin censura existente notoria, vel jam deducta ad forum contentiosum, censurati adhuc debeant se habere pro talibus, ac puniri possint ut transgressores, si in aliquo violant censuram.

259. *Semel approbatus ab ordinario potest vel ex privilegio, vel saltem ex tacito consensu in quavis diœcesi absolvi, si est in itinere, et non in loco, ubi episcopus existit.* — Tertio, regulares vi ditorum privilegiorum non posse absolvi a casibus episcopo reservatis sine ejus licentia; neque ab ullo alio peccato aliquem sæcularem sine approbatione episcopi in aliqua diœcesi, juxta omnes.

Solum hic notandum I. Quod prævio examine semel approbati simpliciter regulares ab aliquo episcopo, ab eodem examinari non amplius possint, ita decernente S. Congregatione Cardinalium apud Landuscha, vers. *Confessarius*, n. 9. Ubi etiam apud eundem auctorem in suo supplemento v. *Privileg.* poteris ad propositum videre Bullam Clement. X, incipientem *Superna*, etc., ac editam 1670.

Item similiter notandum II. Quod regulares semel approbati ab aliquo ordinario,

quando tales sunt in itinere, sive in terra, sive in mari, possint in qualibet diœcesi excipere confessiones sæcularium quorumcumque, etiamsi ab ordinario talis diœcesis non sint expresse approbati: et hoc vel ex privilegio, prout tale pridem concessit Eugenius IV, Fratribus Minoribus, ac Gregorius XIII, Jesuitis; ubi tamen excipiuntur illa loca, in quibus episcopus personaliter existit. Atque dictum privilegium adducunt Roderiquez, tom. V, *Reg.* q. 39, art. 5, in fine, Compendium nostrorum privilegiorum v. *Absolutio*, et novissima quoque editio Romana Patris Landuscha, anno 1700, v. *Confessarius*, n. 12, illudque adhuc post Urbanum VIII, Alexandrum VII, et Clementem X, subsistere censent plures, etiam post dictos Pontifices scribentes Jacobus Platellius, p. 5, *Theologiæ*, c. 6, § 8, n. 873, apud me fol. 382. Bernardus Sannig., t. III, *Theolog.*, dist. 11, q. 4, n. 15. Patritius Sporer, p. 3, *Theologiæ Sacramental.* cap. vi, sect. 1, n. 678. Jacob. Vviestner, lib. V. *Institut. canon.* tit. 38, n. 36, prope finem, etc. Bulla autem Clementis X. *Superna*, etc., in contrarium allegata commode forsitan intelligi posset, de stabiliter in aliqua diœcesi permanentibus; qui utique debent ab episcopo illius loci approbati, non autem de transeuntibus tantum; nam, cum privilegium toti alicui religioni a summo principe concessum sit favorabile, sicque id, quod contra tale pugnare videtur, tanquam odiosum strictam patiat interpretacionem, etsi etiam aliquo modo derogaret juri communi, uti cum Suarezio, Azorio, Bonacina, et ipso tenet Castro Palao, part. I, tr. III, disp. 4, punct. 10, n. 5, prout et ego statui in 1, *Decret.* tit. 3, § 5, n. 438. Hinc posset præfato modo Bulla Urbani VIII, et Clementis X, explicari, ut saltem quoad hoc punctum non obsesset valori dicti privilegii. Vel quod si etiam dicta potestas absolvendi regularibus mendicantibus, etc., aliquam diœcesin in itinere transeuntibus de facto non amplius convenire ex privilegio (prout aliqui cum Illsung in sua *Theologia de Approbatione confessarii*, tract. VI, disp. 6, q. 6, art. 1, § 3, n. 176. putant; alii autem cum la Croix, lib. VI, part. II, n. 1513, apud me fol. 863, saltem de valore ejusdem dubitant) adhuc tamen prædicta potestas regularibus mendicantibus, etc., competeret in Germania superiori (ubi scribo), ex tacito consensu episcopi; eo ferme modo, quo regulares vi

ejusdem absque scrupulo, scientibus et tacentibus reverendissimis ordinariis, ex suis conventibus pergunt ad operationes spirituales, ibique excipiunt confessiones, etsi ab episcopo illorum locorum, ad quæ pergunt, expresse nunquam fuerint approbati, modo approbati fuerint ab episcopo illius conventus, ubi alias degunt. Et ita quoque censet Petr. Marchantius Belga, in suo *Tribun.*, tom. I, tr. II, tit. 6, q. 4, resolut. 2, ad finem.

260. *Vi privilegiorum regulares non possunt absolvi religiosos alterius ordinis.* — Quarto, vigore sæpe ditorum privilegiorum non posse regulares excipere concessionem regularium alterius ordinis habentis statutum (prout fere quævis religio habet) ne religiosi talis ordinis confiteantur religiosi alterius ordinis, ut bene observat Roderiquez, t. I, quærund. *Regular.* q. 60, art. 6, et q. 62, art. 5. Layman, lib. V, tr. 6, cap. x, n. 20, et alii, arg. *Extravag. 1, § Electi*, vers. *Non religiosos de Privileg.* Et ratio est, quia privilegio generali non derogatur particularibus statutis, aut consuetudinibus, nisi exprimitur.

261. *Nisi tales religiosi confitentur speciale ad id habeant privilegium, ut dominicani, quando sunt in itinere.* — Hoc tamen intellige, nisi religio aliqua etiam circa hoc speciale privilegium, aut statutum aliud habeat: prout teste Roderiquez loc. cit. q. 62, art. 2, habent regulares ordinis S. Dominici, utpote qui ex concessione Innocenti VIII, a quovis etiam alias reservato crimine absolvi possunt per quemvis confessarium, sive sæcularem sive regularem alterius ordinis, quando de licentia suorum superiorum sunt in itinere constituti; non item fugitivi et apostatæ.

262. *Quod idem omnibus aliis religiosis competere volunt aliqui.* — Immo Layman lib. V, tract. 6, cap. x, n. 20. Roderiquez tom. I, quærund. *Regular.* q. 62, art. 5, et alii docent, omnibus religiosi, dum in via constituti concessarium suis ordinis habere nequeunt, licitum esse, confiteri alicui alteri vel regulari, vel sæculari concessario saltem cum obligatione sistendi se superiori, vel ab eo delegato quoad casus reservatos.

263. *In ordine nostro non nisi in necessitatibus, et mortis articulo licet aliis confiteri extra ordinem: qualis articulus esse censetur necessitas celebrandi. Doctrina practica de collectis.* — In ordine tamen nostro specialiter vi

observandum est statutum generale c. 7, § 1, n. 4. « Confiteri extra ordinem præterquam in necessitatis articulo, et tunc de licentia superioris per Apostolicas constitutiones Fratribus expresse prohibetur: ubi per necessitatis articulum non tantum articulus mortis, sed etiam quodvis probabile periculum illius intelligitur, quale esse censetur, irruente hoste, prædone, instante periculosa navigatione, transitu per loca insidiis et latronibus obnoxia. » Sanctus de Melfi in c. *Statutum*. c. 7, q. 6. Item necessitas celebrandi Missam, quam quis sine scandalo aut nota infamiae omittere non potest, Melfi l. c. Kerchove in *Statuta generalia*, cap. vi, § 22, n. 113. Portel §. *Confessarius erga religiosos*, recte dicens, in tali casu regularem non tantum posse, sed et debere confiteri alicui confessario extra ordinem; sive regulari, sive sæculari, si aliquem ex ordine suo habere nequit; cum urgeat præceptum divinum et ecclesiasticum, et prælati regulares videantur esse consentientes; siquidem per licentiam superioris in statuto requisitam intelligitur generalis, et præsumpta. Melfi loc. cit. Roderiq. t. 1, quærund. regul. q. 62, art. 5. Quinimmo in licentia itinerandi implicite continetur licentia confitendi in casibus alias a jure permissis juxta Mirandam tom. II. q. 36, art. 6.

Infertur, quod collectores, et alii itinerantes copiam confessarii ex ordine non habentes non tantum possint, sed etiam habeant confiteri confessario alteri regulari, vel sæculari, casu quo in peccato mortali constituti Missam sine scandalo omittere non possunt: ita tamen, ut postea de reservatis denuo se accusent coram confessario ordinis potestatem habente.

264. *Præter casus reservatos a Clemente VIII, positos possunt regulares in capitulo generali, vel provinciali adhuc alios reservare.* — Quinto notandum, vi sæpe dictorum privilegiorum regulares etiam ex suis non posse aliquem absolvere a reservatis in suo ordine. Quinam autem sint casus reservati pro ordinibus constat ex Bulla Clementis VIII, qui, ne prælati regulares per indiscretum zelum nimium reservando casus gravent subditos, undecim passim in libris contentos specificavit, quos reservare prælati regulares possunt addita clausula, ut si aliquos casus pro bono religionis aut provincie reservare velint, id quidem facere possint, sed non nisi in capitulo generali pro toto ordine, vel pro-

vinciali pro provincia, ibi: « Cum matura discussione et totius consensu capituli generalis pro toto ordine, et capituli provincialis pro tota provincia. » Plura de absolute a casibus reservatis vide apud theologos, et etiam Kerchove in *Statuta generalia* cap. vi, § 22. Melfi in eadem Statuta c. 7.

265. *Qualis obligatio confitendi casus reservatos, vel licentia in confessione committenda sit, casu quo in absentia habentis potestatem absolvendi quis alteri confitetur.* — Porro circa casus reservatos etiam notandum, quod licet alicui cum Diana p. 1, 3, 4. Ref. 104. Soto, Corduba, et aliis, satis probabiliter et tute doceant, eum, qui hic et nunc non habet copiam potentis absolvere a reservatis, et nihilominus conformiter dictis superius ex causa urgenti confiteri debet, non teneri alteri potestatem in reservata non habenti confiteri aliquod peccatum reservatum, sed satisfacere si alia non reservata confitetur, cum proposito reservata, quamprimum fieri potest, confitendi habenti potestatem absolvendi ab illis; cum nemo teneatur idem peccatum bis confiteri; tamen longe tutior, et in praxi merito tenenda sit sententia dicens etiam in tali casu esse obligationem, reservata quoque confitendi, quatenus integritate concessionis satisfiat, et confitens interea indirecte a reservatis absolvatur, prout videre est apud Layman, Sporer, *Theol. Sacrament.* p. 3, c. 6, sect. 2, n. 757.

Ulterius notandum, in casu, quo penitens bona fide accedit confessionale, ignorans se habere peccatum reservatum, vel putans confessario competere facultatem absolvendi et confitetur reservatum, fere plerumque non teneri simplicem confessarium, ita confitentem absque absolute dimittere, et ad habentem potestatem oblegare, sed posse talem, dum aliud præter reservata habet peccatum, ab hoc directe, et ab illis indirecte absolvere, atque ad celebrandum vel communicandum admittere, cum obligatione denuo confitendi reservata habenti potestatem directe absolvendi ab eis. *Clyp. Clement. Judic.* p. 2, dec. 2. Sporer, loc. cit. n. 767. Ratio est; quia videtur adesse aliquis saltem necessitas, videlicet, quia valde durum esset penitenti, ceteroquin rite disposito, sine absolute discedere, præsertim si præter reservatum habeat etiam alia gravia peccata, simplicem confessario bona fide exposita, quæ denuo alii confiteri, valde difficile foret.

266. *Absolute a censuris dari potest varie, v. g. absolute, conditionate, ad cautelam, cum reincidentia.* — Quæritur V. Quotupliciter? et quomodo fieri possit, et debeat absolute a censuris? Item quid circa eam dandam observare debeant absolventes præsertim regulares? Resp. I. Absolute a censuris varie fieri potest, et solet: patet inductione. Nam. I. Fieri potest absolute. II. Ad cautelam prout ad cavendam nullitatem rescripti apostolici, electionis, beneficii dari solet. III. Sub conditione, v. g. Absolvo te, si hoc aut illud feceris. IV. Cum reincidentia, ita videlicet, ut si absolutus intra certum tempus, hoc aut illud non fecerit; vel si cessante periculo mortis, vel alio impedimento se non sistat, a quo alias de jure absolvi deberet, in similem censuram, excommunicationem v. g. iterum reincidat. V. Ad certum duntaxat effectum, v. g. ut censuratus testimonium ferre, vel alium actum censurato alias prohibitum exercere valeat; quo tamen casu censuratus non ab ipsa excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effectu duntaxat liberari censetur. Pirhing, h. t. a n. 165. Layman, loc. cit.

267. *Absolute a censuris dari potest in et extra confessionem, etiam absentem, et invito, et quomodo?* — Resp. II. Absolute a censura non tantum intra, sed etiam extra confessionem sacramentalem etiam absentem et invito dari potest; nec requiritur ad eam certa verborum forma, sed sufficit quælibet voluntatem absolvendi sufficienter explicans: solet tamen pro absolute danda absolute ab excommunicatione observari sequens formula: « Absolvo te a vinculo excommunicationis quam incurristi propter N. (exprimatur excommunicationis causa) et restituo te S. Sacramentis et communioni fidelium in Nomine Patris, etc. » In Absolute a suspensione vero: « Absolvo te a vinculo suspensionis, quam incurristi propter N. et restituo te executioni ordinum: » Si censura est dubia, servari solet hæc formula: « Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, absolvo te, etc., in quantum possum, et tu indiges, in nomine Patris, etc. »

268. *Si publice datur.* — Si absolute datur publice et solemniter, præmitti solet aliquis psalmus penitentialis, et adhiberi certus ritus, c. *A nobis* 28, h. t. et in Pontificali, vel etiam in Rituali diocesano præscriptus.

269. *In nullo foro absolvi potest censuratus; nisi prius satisfecerit parti læsæ: et quomodo?* — Resp. III. Nullus neque in foro interno, neque externo absolvi potest ab excommunicatione vel alia censura, nisi censuratus prius satisfecerit parti læsæ, ob damnum, vel injuriam, ratione cujus fuit excommunicatus, c. *Solet* 2, h. t. in 6, vel cum ea transactum, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per pignora, vel fidejussionem præstetur, vel si nec ista ob inopiam vel aliam causam fieri potest, per juramentum, Laym. lib. I, tr. 5, p. 2, c. 2, n. 8. Abbas in c. *qua fronte* 25, de *Appellat.* Sylvester §. *Absolute* 3, n. 3, arg. Authent. *Generaliter* C. de *Episcop. et Cleric.*

270. *Doctrina practica ad propositum.* — Et quamvis Laym. loc. cit. recte notet; pro foro interno, spectata qualitate personæ sufficere etiam nudam promissionem, vel fidei interpositionem censurati, si censura est occulta: tamen etiam l. c. p. 1, c. 7, n. 7, idem recte monet, regulares privilegatos cavere debere, ne etiam pro solo foro interno absolvant aliquem vi juris communis, aut sententiæ generalis notorie censuratum, v. g. excommunicatum, vel ejus excommunicatio jam fuit deducta ad forum contentiosum, priusquam parti læsæ actu satisfecerit; quia alias, si talis reus saltem pro foro interno absolutus jam existit, ab Ecclesia tam facile adigi non valet ad satisfaciendum parti læsæ, quod bene observare habent confessarii regulares: quamvis et in hujusmodi notorie excommunicatis circumstantiæ suadere possint, ut ad solam præviam cautionem, vel promissionem absolute pro foro interno prudenter dari queat. (ADNOTATIO LIII.)

TITULUS XL.

De verborum significatione.

1. *Ratio ordinis.* — Constat sæpe dubitari de sensu, et significatione verborum juris, hinc sicut in jure civili, ita et in canonico interpositus fuit Titulus de verborum significatione. Quoniam vero de hac multa jam diximus supra l. 1, tit. 2, de *const.* § 15, 16 et 17, de interpretatione legum, et regulis in ea observandis, pauca hic afferemus po-